

que ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco beneficii residere se-
rari. Dummodo tamen tales, si sint consti-
tuti in ordinibus sacris, aliunde habeant,
adeo in vita possint commode sustentari,
prout idem Pontifex notanter subjunxit. De
quo videri poterit Barbosa, lib. III *Juris Ec-
cles. univ.* cap. xv, num. 99, et seqq. ubi re-
lata citata constitutione beati Pii V, singulas
allatas resignationis causas per ordinem
prosequitur: quod idem præstitit Flamin.
Parisius, lib. III, *de Resignat. benefic. a* quæst.
30, usque ad quæst. 48. Tacentur alii.

38. *Facta renuntiatione pura, et a superiore
admissa, non est locus pœnitentiæ.* — Quæritur
R. An resignans possit pœnitere, seu redire
ad beneficium resignatum? Resp. I. Facta
renuntiatione pura, et a superiore admissa,
non amplius est locus pœnitentiæ, sed resi-
gnans potest compelli, etiam invitus, ad di-
mittendam possessionem beneficii. Ita habe-
tur decisum in c. *Quidam* 12, h. t. Idque
merito: Ne Papa, vel alius prælatus illuda-
tur, si resignans post admissam renuntiationem
possit libere redire ad beneficium resi-
gnatum. Accedit, quod renuntiatio beneficii
non solet fieri, neque admitti, nisi ob com-
modum Ecclesiarum, vel salutem propriam
resignantium: atqui neutrum horum debet
ex quadam resignantis levitate impediri; ut
innunt textus in cit. c. *Quidam*. Concordat c.
In præsentia 6 et c. *Ex transmissa*, 3, h. t.
ubi is, qui renuntiavit beneficio, illud repe-
tere non potest. Satis enim absurdum est
redire ad hoc, cui quis renuntiandum puta-
vit, prout dicitur l. *Si quis iusjurandum*, C.
de Rebus creditis.

39. *Facta renuntiatione pura, et a superiore
admissa, non est locus pœnitentiæ.* — Unde
impræsentiarum habet locum, quod notatur
in can. *Quam periculosum*, 7, q. 1, et c. *Cum
inter*, R. 16, *de Elect.*, juncta Glossa ibidem:
« Qui juri suo semel renuntiat, non potest
postea ad illud redire. » Item illud vulgatum,
Quod prius erat voluntatis, postea fit neces-
sitaris, arg. l. *Sicut*, c. *de Actionib. et obligat.*

40. *Bene tamen ante ejus admissionem.* —
Additur notanter in conclusione, « et a supe-
riore admissa. » Nam ante ejus admissionem,
et ratificationem, potest resignans mutare
voluntatem, et revocare resignationem: quia
tunc res adhuc existit integra, sique locus
est pœnitentiæ, arg. c. *Lectæ*, 14, h. t. et c.
In causis, 30, § *Quia vero, de Elect.* et notat
Garcias, part. XI, *de Beneficiis*, cap. III, num.

227, citans Rotam, decis. 1, in fin. et decis.
3, *de Renuntiat. in antiquis*. et alios: idemque
tenet Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. *de Resi-
gnatione conditionali*, num. 21, id ulterius
probans ex l. *Si pecuniam*, § 2, ff. *de Condi-
tion. caus. dat.* Adeo, ut si resignans consti-
tuisset procuratorem ad faciendam renun-
tiationem beneficii coram superiore, re adhuc
integra pœnitere, et mandatum procurato-
rium revocare valeat, Clem. un. *de Renun-
tiat.* ubi hoc ipsum amplius declaratur. San-
nig, h. t. cap. vi, num. 3, et alii.

41. *Potest qui renuntiavit, ex novo titulo re-
dire ad beneficium antea resignatum.* — Resp. II.
Potest nihilominus is, qui beneficium resigna-
vit, non obstante sua renuntiatione redire ad
idem beneficium ex novo titulo postea su-
perveniente; ut puta, si iterum ad illud eli-
gatur, vel præsentetur. Patet hoc ex c. *Cum
inter*, 2, h. t. et amplius explicat Glossa in
ibid. et Glossa in c. *Susceptum*, vers. *Non
morte, de Rescript.* in 6. Flamin. Parisius, lib.
II, *Resignat. benefic.* quæst. 3, num. 3, post
Puteam, decis. 464; Pirhing h. t. n. 114,
et seqq.

42. *Sed tunc ultimum locum tenebit præ-
aliis.* — Cæterum talis, qui denuo ad illud
beneficium admittitur, ultimum locum tenere
debet præ aliis: siquidem per præviam
renuntiationem amisit omne jus in beneficio,
ac proin etiam prærogativam antiquitatis.
Layman in c. *Ex transmissa*, 3, num. 1, h.
t.; Flamin. Parisius, cit. lib. I, quæst. 14, n.
25, post Rotam in una Paduana optionis,
coram Accorambono, 29 novemb. 1557.

§ III.

PER QUOS, ET QUÆ BENEFICIA POSSINT, VEL NON
POSSINT RENUNTIARI?

43. *Regulariter quilibet clericus beneficiarius
potest renuntiare suo beneficio.* — Quæritur I.
An quilibet clericus possit renuntiare suo
beneficio ecclesiastico? Resp. I. Regulariter
loquendo, quilibet clericus beneficiarius po-
test in manus legitimi superioris, ex justa
causa, renuntiare beneficio sibi quæsito. Ita
communis. Nam hæc generalis facultas resi-
gnandi beneficia ex justa causa ipso jure
conceditur; ut c. *Nisi cum pridem*, 10, h. t.
cum similibus. Idque generatim ex duplici
capite; videlicet tum ob commodum Eccle-
siarum, quarum bono regimini utile, aut
etiam quandoque necesse est, fieri resigna-

tionem: tum ob propriam salutem resignan-
tis, qui vel religionem ingredi cupit, vel re-
signando periculum animæ, aut corporis, in
loco beneficii sibi imminens, evitare deside-
rat; unde æquum est, ut ipsi suppetat facul-
tas resignandi beneficium præhabutum.

44. *Ac etiam Papa Papatui.* — Et hoc pro-
cedit non solum in clericis inferioribus, sed
etiam in episcopis, et cardinalibus. imo et in
Summo Pontifice: nam etiam hic libere po-
test Papatui renuntiare, cap. i, h. t. in 6,
juncta Glossa, vers. *Maxime*. Idque confirma-
tur exemplo sancti Coelestini Papæ, qui cum
in Pontificatus sublimitate collocatus, variis
distentus curis, sese assuetis incumbere me-
ditationibus vix posse cognosceret, oneri pa-
riter et honori voluntarie cessit; prout legi-
tur in *Breviario Romano*, die 19 maii, et patet
ulterius ex formula renuntiationis, quam
fecit memoratus sanctus Pontifex, quamque
verbatim refert Barbosa, lib. I, *Jur. eccles.
univ.* 2, n. 213. Verumtamen in hoc casu
potius censetur fieri abdicatio sive cessio,
quam renuntiatio: hæc enim (ut ex ejus de-
finitione liquet) fit coram superiore: Papa
autem superiorem non habet in terris.

45. *Fallit illud in certis casibus.* — Resp. II.
Dantur nihilominus certi casus, in qui-
bus nequit beneficiarius suum renuntiare
beneficium. Ita communis, ratione cujus in
num. 43, notanter additum fuit, « Regulari-
ter loquendo, » et probatur inductione. Sic
quippe clericus infirmus nequit renuntiare
suo beneficio intra viginti dies ante suam
mortem, juxta reg. 19 Cancellariæ, quæ
inscribitur *Regula de viginti*, et amplius dice-
tur infra n. 67, et seqq.

46. *Nequit clericus resignare beneficium, nisi
aliunde habeat unde sustentetur.* — Deinde,
« quod nullus sacro ordini mancipatus, nisi
religionem ingressurus, valeat ullo modo
beneficium, vel officium ecclesiasticum resi-
gnare, nisi aliunde ei sit, quo in vita possit
commode sustentari: » his ipsis verbis sta-
tuit beatus Pius V, in cit. sua constitutione,
58, quæ incipit: *Quanta Ecclesia*, § 3.

47. *Nec potest quis resignare beneficium, ad
cujus titulum fuit ordinatus.* — Tertio, cleri-
cus nequit resignare beneficium illud, ad
cujus titulum sacris ordinibus initiatus fuit,
nisi facta mentione, quod ad illius beneficii
titulum sit promotus: neque talis resignatio
admitti debet, nisi constituto, quod aliunde
vivere commode possit: et aliter facta resi-
gnatio nulla est: prout novissime decrevit

concilium Trident. sess. 21, cap. II, *de Re-
format.* Idque merito: Ne alioquin (ut idem
concilium notavit) clericus cum sacri ordinis
dedecore mendicare, aut sordidum aliquem
quæstum exercere cogatur.

48. *Intelligendo hoc de renuntiatione volun-
taria.* — Cæterum hoc procedit dumtaxat in
resignatione voluntaria, non autem in priva-
tionibus, aut renuntiationibus a jure induc-
tis; prout a sacra Congregatione fuisse deci-
sum, refert Garcias, part. II, *de Beneficiis*,
cap. v, n. 219, et sequitur Barbosa, part. II,
de Offic. et potest. episc. n. 45. Qui tamen
post Aloysium Riccium, in decis. curiæ ar-
chiepisc. Neapol. decis. 18, part. 1, recte
subjungit, quod, si clericus veniat privandus
per sententiam beneficio, ad cujus titulum
fuit ordinatus, ipsi aliquid sit relinquendum,
unde se alat.

49. *Neque resignare potest beneficium cleri-
cus intrusus, aut non habens titulum canonicum
in eo.* — Quarto, clerici intrusi (hoc est, illi,
qui non per electionem canonicam, sed per
violentiam occupant officia, vel beneficia ec-
clesiastica) sicut et alii non habentes titulum
canonicum, nequeunt resignare beneficia,
quæ obtinent. Pirhing, h. t. n. 36. Idipsum
procedit in eo, qui privatus est beneficio per
sententiam, quæ transit in rem judicatam.
Garcias, part. X, *de Beneficiis*, cap. III, n. 125,
cum aliis. Ratio horum est, quia renuntiatio
est dimissio beneficii proprii: atqui intruso-
rum, et aliorum similium legitimo titulo ca-
rentium, vel beneficio sententialiter privato-
rum, beneficium non est proprium; ergo
neque istud renuntiare valent.

50. *Nec promotus ad secundum beneficium
incompatibile cum priori, vel religionem profes-
sus.* — Atque hoc idem dicendum de illis,
qui ad secundum beneficium incompatible
cum priore promoti sunt, vel qui matrimo-
nium valide contraxerunt, aut religionem
professi sunt. Nam, quia per adeptam pos-
sessionem secundi beneficii, contractum ma-
trimonium, aut professionem religiosam,
ipso jure vacat præhabutum beneficium, id
amplius resignari nequit, veluti non pro-
prium. Sed potest, ac debet dumtaxat relin-
qui quoad possessionem, sive corporalem
detentionem.

51. *Neque criminis, si ipso jure privatus
est beneficio.* — His addunt doctores commu-
niter clericum criminis, qui ob crimen
commissum ipso jure privatus existit benefi-
cii præhabitis: ut est simoniacus, Extravag.

Cum detestabile de Simon. inter communes; falsificator litterarum apostolicarum c. *Ad falsariorum*, 7, de *Crimin. falsi*, et hujusmodi. Talis enim renuntiare potest: et, si secus fiat, resignatio ejus est invalida. Felinus c. *In nostra*, n. 38, de *Rescript.*; Flamin. Parisius lib. III, de *Resignat. benefic.* quæst. 1, num. 20, post Rotam in una Compostellana, parochialis, 23 februarii 1582, coram D. Blanchetto, et alios. Idque procedit vel maxime, si fiat talis resignatio in favorem tertii; Nicol. Garcias, part. XI, de *Beneficiis*, cap. III, n. 124.; Flamin. Parisius, d. quæst. 1, n. 21, citans alios, atque asserens hanc esse communem omnium doctorum sententiam. Nec immerito: nam beneficium, quo quis ipso jure propter crimen commissum privatus existit, non amplius censetur esse suum: sicque hoc ipso illud resignare nequit, saltem in favorem tertii, seu ut huic acquiratur; quamvis illud dimittere valeat, veluti privatus jure ad ipsum.

52. *Quod declaratur.* — Verum recte notat Sanchez, lib. II, in *Decalogum*, cap. xxvi, n. 9, estque conforme dictis supra tit. de *Constitutionibus*, § 10, n. 227, et seqq. hoc non ita accipiendum esse; quasi talis resignatio, vel permutatio beneficii, nullius omnino sit momenti: valet enim ipsa, et acquiritur jus illi, in quem fit resignatio, vel permutatio, nisi sequatur sententia declaratoria judicis super crimine admissio. Nihilominus quia sententia declaratoria, si sequatur, retrotrahitur usque ad diem commissi criminis; hinc permutatio, sive resignatio illa, non habet plenum effectum, sed rescinditur, atque revocatur, ac si facta non fuisset. Et in hoc sensu verum est, quod clericus criminis nequeat suum resignare, vel permutare beneficium, quo ob crimen commissum ipso jure privatus existit: et si secus fiat, tunc beneficium cum ejusmodi criminoso permutatum restituitur permutanti, amoto hinc quolibet alio ejus detentore, arg. c. *Cum universorum*, 8, de *Rerum permutat.* et notat Sanchez, d. n. 9, citans alios.

53. *Secus, si eo primum per sententiam sit privandus.* — Cæterum loquendo de clerico criminoso, qui non ipso jure privatus est suo beneficio, sed per sententiam eo privandus, dicendum est, quod is valide resignare valeat beneficium suum ante sententiam privationis. Glossa in cap. II, vers. *Finita. Ut lite pendente*; Rebuffus, in *Praxi benefic.* tit. *De modis amittendi beneficia.* n. 51; Covarru-

vias, in Clem. *Si furiosus. de Homicid.* 2, part. III, n. 7; Sannig, h. t. cap. IV, n. 4; Garcias, cit. part. XI, cap. III, n. 63, allegans quamplures decisiones Rotæ, et communem aliorum. Ratio: est quia talis sententiam nondum est privatus suo beneficio, nec alicubi reperitur ipsi interdicta resignatio; ergo, cum regulariter resignatio beneficii sit cuilibet permissa, etiam iste poterit resignare.

54. *Solvitur instantia contra hoc.* — Si dicas: Beneficium litigiosum nequit resignari, ut num. seqq. dicitur: sed tale beneficium est litigiosum, saltem post accusationem clerici criminis; ergo. Resp. neg. min. Nam in tali casu lis non movetur super ipso beneficio, sive super ejus titulo, vel possessione, ita quod hujus adjudicationem actor petat (uti supponitur) sed super crimine clerici; ac proinde ipsum beneficium non redditur litigiosum, haud obstante, quod crimine illo probato sit imponenda hujus privatio. Garcias, cit. part. XI, cap. III, n. 83, post Rotam in una Calaguritana beneficii coram D. Lancellotto, 29 octob. 1561, et Puteus, decis. 496. lib. II.

55. *Beneficium litigiosum, lite pendente, non potest alteri resignari.* — Queritur II. An dentur aliqua beneficia ecclesiastica, quæ resignari non possunt? Resp. affirmative. Et præter casus jam enumeratos, in quibus ex parte clerici potissimum oritur prohibitio ea resignandi, nequit imprimis cupiam alteri resignari beneficium litigiosum, lite pendente. Ratio est: quia talis renuntiatio præsumitur fieri in fraudem colligantis, arg. cap. I, de *Alien. judicii mutandi causa*, et cap. II, *Ut lite pendente*, etc. in 6. Simulque, quia lite pendente nondum constat, ejus sit beneficium, ut istud resignare valeat. Quia de causa, generaliter loquendo, alienatio rei litigiosæ, dum lis pendet, fieri prohibetur, et facta non tenet, l. *Lite pendente*, C. de *Litigiosis*.

56. *Litigiosa res, et beneficium litigiosum, quid?* — Porro litigiosa res est, de cujus dominio causa movetur inter possessorem et petitem, judiciaria conventionem coram iudice ordinario, vel delegato facta, et per hunc futuro reo denunciata. Clem. 2. *Ut lite pendente*, etc. et Auth. *Litigiosa res. C. de Litigiosis*. Simplex autem denunciatio, sive prohibitio alienandi extra iudicium facta, non efficit rem litigiosam, L. I. C. eod. Unde pariter beneficium litigiosum censetur illud,

de cujus proprietate, sive titulo, aut possessione, lis judiciaria movetur, petente actore hujus adjudicationem sibi fieri, ejusque petitione per iudicem reo sufficienter denunciata; prout amplius, lib. II, tit. XVI, *Ut lite pendente*, etc. doceri solet.

57. *Potest tamen quis simpliciter cedere beneficio litigioso, aut liti renuntiare.* — Verum, licet beneficium litigiosum lite pendente resignari non valeat alicui alteri, sive ex causa permutationis, sive in favorem ejus illud dimittendo: nihilominus alter litigantium bene potest simpliciter cedere illi beneficio, ac juri, si quod in eo habet. Siquidem per talem concessionem non fit deterior conditio colligantis, simulque per ipsam totaliter finitur lis; ac proinde ipsa merito censetur valida. Idem est, si simpliciter renuntietur liti: quia tunc purgatur vitium litigiosi. Pirhing, h. t. n. 14.

58. *Valet etiam renuntiatio beneficii litigiosi, si fiat expressa mentione litis.* — Valida etiam est renuntiatio beneficii litigiosi, si hanc fieri contingat facta expressa mentione litis; sive dein ipsa fiat coram Summo Pontifice, sive coram ordinario: quanquam ordinarius in tali casu nequeat conferre beneficium, nisi lite jam finita, aut per obitum litigantis, jus in beneficio præsententis extincta, vel per longam ab ea cessationem derelicta; Azorius part. II, lib. VII, cap. xxv, q. 3.

59. *Beneficium reservatum potest quidem simpliciter dimitti, non tamen alteri resignari.* — Deinde beneficium reservatum, cujus videlicet collatio ad solum Romanum Pontificem pertinet, licet possit simpliciter dimitti, non solum coram Papa, sed etiam coram ordinario loci, dummodo hic illud alteri non conferat: nihilominus ejusmodi beneficium Papæ reservatum, absque hujus auctoritate, nequit resignari cupiam alteri, sive ex causa permutationis, sive in gratiam et favorem tertii illud dimittendo. Et hoc etiam procedit non obstantibus quibuscumque facultatibus, et licentiis resignandi talia beneficia: nam has omnes revocavit Innocentius IV, in constitutione *Sicut bonus Pastor*. 1491, emanata; Azorius, loc. cit. q. 9. Et ratio est: quia talis resignatio, si ex causa, v. g. permutationis, fieret coram ordinario loci, et non coram Papa, directè præjudicaret reservationi, quantum beneficiorum collatio ad solum Romanum Pontificem spectare dignoscitur.

60. *Idemque dicendum de beneficio unito.* — Alterius beneficium unitum nequit resignari,

etiam antequam unio sortiatur effectum, si per talem resignationem dicta unio quoquo modo suspendatur vel impediatur. Patet hoc ex concil. Trident. sess. 21, cap. v, de *Reform.* ubi propter paupertatem Ecclesiarum, et juxta formam juris, conceditur, quod possint ipsis alia beneficia (sine tamen præjudicio obtinentium) perpetuo uniri, et subditur, quod taliter factæ « uniones etiam non possint revocari, nec quoquo modo infringi vigore cujuscumque provisionis, etiam ex causa resignationis, » etc. Idem habetur in dicto concilio, sess. 23. cap. XVIII, de *Reform.* ubi de unionibus beneficiorum, seminario episcopali factis, subjungitur: « Nec per resignationem ipsorum beneficiorum, uniones et applicationes suspendi, vel nullo modo impediri possunt. » Hinc, si beneficium Cui jam seniculi ex causa præallegata uniatum Ecclesiæ, monasterio, vel seminario, non potest illud Caius resignando, permutare cum beneficio Titii adhuc juvenis: quia sic verisimiliter effectus illius unionis suspenderetur. Et multo minus potest tale beneficium resignari in favorem tertii: nam si id liceret, posset unus resignare alteri, et alter tertio; sicque facile impediretur omnino effectus unionis. Non tamen hinc prohibetur possessor, tale suum beneficium absolute resignare, simpliciter illud dimittendo in manibus ordinarii quia hac ratione effectus factæ unionis non impeditur, nec suspenditur, sed promovetur.

61. *Et de patronato, atque electivo, sine consensu patroni, vel eligentium.* — Rursus beneficium patronatum, quamvis simpliciter possit dimitti in manibus superioris, tamen non potest ex causa permutationis, aut in favorem tertii, resignari absque consensu patroni, arg. can. *Monasterium*, 16, q. 7. Ac similiter beneficium electivum nequit in favorem, seu gratiam alterius, renuntiare inconsultis, et non consentientibus illis, qui jus habent eligendi; juxta Glossam magnam, cap. I, de *Rerum permutat.* in 6. Ratio horum est: tum quia hoc pertinet ad interesse patroni, seu jus eligendi habentium, ne forsan in beneficio quispiam instituat ipsi infensus: tum quia cæteroquin ipsi pro ea vice destituerentur jure præsentandi, seu eligendi. Barbosa, lib. III. *Jur. Eccles. univ.* cap. xv, num. 182; Garcias, part. II, de *Beneficiis*, cap. IV, n. 72; Azorius, cit. part. XI, lib. VII, cap. xxv, q. 4 et 5; Lessius, lib. II, de *Just. et jur.* cap. xxxiv, n. 193 et 198, cum aliis.

62. *Renuntiatio tamen talis beneficii non est*